



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomæ Młodzianowski, Poloni, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Peccatis Et Gratia, Fide, Spe, Et Charitate

Młodzianowski, Tomasz

Moguntiae, 1682

Quæstio I. Quid est Ens supernaturale per alios.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82969](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82969)

TRACTATUS V.

De Ente Supernaturali.

Radicatum Genericum est gratia, quod sit donum supernaturale. Fides, Spes, & Charitas, pro Genere dicunt, quod sint virtus supernaturalis, secundum quod in Theologia explicantur. In Materia Prima Partis, est locus tractandi de supernaturalitate Visionis, hinc erit necesse perscrutari prosequi hanc materiam, utpote eam, cujus difficultas redit in tot tractatibus. Caterum si cupiam mens esset secundum totam suam latitudinem tractare de Ente Supernaturali, posset omnes ferme materias totius Theologiae hoc titulo comprehendere: Nam premissa in communi notitia supernaturalitatis, posset discurrere de causa supernaturalium, Deo, ejus essentia, attributis, scientia &c. Posset item descendere ad species entis supernaturalis, dividendo illas in species entis supernaturalis, quasdam quidem intentionales, & alias non intentionales seu physicas. Rursus dividendo species entis supernaturalis intentionales evidentiam includentes, & evidentiam excludentes, sub priori ageret de Visione, amore in Patria, Beatitudine, noscibilibus in Deo. Item de iis ad quae vi sua naturali non potest attingere intellectus, ut de Trinitate, Processionibus &c. sub posteriori titulo ageret de Fide, Spe, & Charitate, aliisque virtutibus via. Accedendo autem ad species entis supernaturalis non intentionales, sed simpliciter physicas, divideret easdem in species entis supernaturalis substantiales, tractaretque de unione Hypostatica, ejus principis. Necessitate, Proprietatibus, Decretis; & in species entis supernaturalis accidentales, quales sunt. Lumen gloriae, species impressa Dei, habitus supernaturales, existentia Christi in Eucharistia, &c. Item de specie entis accidentali, quae est gratia. Tractaret rursus de modo acquirendi supernaturalia, ubi de Merito, Sacramentis &c. Rursus de subiecto gratiae; ubi ageret de Angelis & hominibus, descendendoque ad opposita enti supernaturali, tractaret de peccatis, eorum speciebus, poena, &c. Sed talem hunc Tractatum non est mens instituere. Unde non nisi rationes communes supernaturalitatis expendemus, & eas difficultates, quae specialem sibi alium locum non vendicant.

DISPUTATIO VIII.

De Natura Entis Supernaturalis.

Primum tractandum erit de Natura Entis Supernaturalis. Sit

QUAESTIO I.

Quid est Ens Supernaturale per alios?

Sunt aliqua hic vocabula attingenda. Nempe, transnaturale, praeternaturale, vel innaturale,

Contranaturale, vel Supernaturale. Termino transnaturale utitur Aristot. & hoc nomine vocat Metaphysicam, eam scilicet Philosophiae partem, quae agit non de objecto ex motu & quiete naturali inter noscibili, sed secundum

(Y)

cundum altiores rationes & formalitates. Præternaturale autem vel innaturale est, quod non est secundum ordinarium cursum rerum, v. g. innaturale est homini habere 6. digitos in una manu. Connaturale illud, quod fit contra exigentiam, inclinationem, & debitum naturæ, ut v. g. lapidem sursum ascendere. Aliud denique Supernaturale, quod est materia hujus tractationis.

I. CLASSIS AUCTORUM Explicat supernaturalitatem per varios respectus ad Deum. 1. *Aliqui* supernaturalitatem dicunt consistere in ordine ad Deum, prout est actus purus, hoc enim solo ordine, Naturæ ordinem, qui est potentialitati immerfus, superat, & hæc sententia est Albertini. 2. *Alii* dicunt, illa esse supernaturalia, quæ participant divinam essentiam & ejus attributa in se, naturalia verò quæ participant in alio. 3. *Aliqui dicunt*, illa esse naturalia, quæ respiciunt Deum ut unum, quæ autem respiciunt Deum ut trinum, illa esse supernaturalia, & hanc sententiam tenet Zumel. 4. *Alii dicunt*, supernaturalitatem consistere, in connexionem, quam ens supernaturalis propter suam perfectionem habet cum Deo, ut est in se aut mediata aut immediata, aut ut effectus conjunctionis immediatæ. Hanc sententiam docent Fafolus & Herize, eamque ulterius sic explanant. Substantia divina, est supernaturalis per essentiam; hinc fit, ut in tantum aliqua sint supernaturalia, in quantum faciunt conjungi naturam creatam, cum substantia divina; quia verò hæc conjunctio est duplex, alia physica alia intentionalis, fit ut unio Hypostatica sit supernaturalis, quæ est conjunctio physica; & visio Beata est supernaturalis, cum etiam hæc sit conjunctio intentionalis, quia verò fieri potest, ut aliqua non nisi immediate conjungantur cum Deo, fit ut habitus, & actus virtutum supernaturalium, quæ ordinantur ad immediatam connexionem, sint adhuc supernaturales. Character etiam ordinatur suo modo ad hanc immediatam conjunctionem; & quia etiam fieri potest, ut aliquid sit effectus illius connexionis isque supernaturalis, fit ut dotes Corporis gloriosi, & alia accidentia materialia, supernaturalia sint. 5. *Explicatio* eorum est, qui universaliter docent, supernaturale esse, quod est ordinis divini; & naturalia esse, quæ non sunt ordinis divini; & sicut illa dicuntur esse ordinis humani, non quæ sunt univocæ, vel analogicæ in eodem prædicamento cum homine, sed quia specialiter revocantur ad hominem; sic illa erunt ordinis divini, quæ specialiter revocantur ad Deum, quamvis non sint in eadem ratione specifica cum Deo. Quod si ulterius quæras, quænam sint illa quæ specialiter referantur ad Deum? Respondent, esse illa, quibus Deus intra ipsius ordinem, aliquo modo attingitur, vel per assimilationem participatam, quæ fit per gratiam; vel per cognitionem, quæ ra-

tione fides & visio sunt supernaturales, vel per amorem, pro qua sententia citatur Mol. Suar. Ariaga. Sed in hac materia fusiores citationes pete ex Rec. Suar. in Metaph. tr. i. d. 3. S. 4. &c.

NON SATISFACIT Prima Explicatio. Tum quia. Non implicat contradictionem, dari aliquid supernaturale, quod non versatur circa Deum prout est actus purus. Et certe de facto actus fidei circa Trinitatem non versatur circa Deum, ut actum purum, & nihilominus est supernaturalis. Attritio item de peccatis ad confessionem sufficiens, est supernaturalis; nec tamen attingit Deum ut actum purum, sed ut puniorem, vel præmiatorem. Item ex dictis in prima Parte, potest videri Trinitas Personarum indubie non nisi visione supernaturali; & tamen non attingi natura divina, adeoque formalitas actus puri. Tum quia, potest esse demonstratio Metaphysica formata etiā à philosopho Extimico, quod Deus sit actus purus, quæ certe, cur non poterit esse naturalis; & tamen versabitur circa Deum ut actum purum. Ergo versari circa Deum ut actum purum non constituit supernaturalitatem; quod idem procedit de actibus Athetæ, qui negat & Deum & actum purum esse, & tamen negando actum purum, versatur circa actum purum, tanquam circa objectum, ad quod refertur relatione transcendentali. Ergo prædictus nexus cum actu puro non formalizat supernaturalitatem. Tum quia. Gratia est quid supernaturale, alique habitus gratiosi, & nihilominus plures habent potentialitates, ut existendi, non existendi, agendi non agendi; convenit etiam illis educi supernaturaliter; adeoque produci dependenter à subiecto, quæ certe magna potentialitas est. Ergo debes jam ostendere quid sit hoc non esse immersum potentialitati, sufficiens ad supernaturalitatem; qualisque potentialitas, destruat supernaturalitatem, & qualis non destruat.

NON SATISFACIT Secunda Explicatio. Tum quia, non videtur quomodo in alio anima v. g. rationalis creata, participat ex divino esse; quod si non in alio participat, deberet explicari consequenter dicere, animam esse substantiam supernaturalem, aut suam doctrinam non concludere. Tum quia non videtur quomodo Deus participari possit ut est in se, participationem simili, non convenientem naturalibus. Tum quia ut arguit Rec. Suar. Ista participatio Dei ut est in se, vel est per identitatem, & sic nullum creatum erit supernaturale; quia nullum creatum identificari potest Deo; vel debet esse participatio per unionem personalem, & sic sola illa erit supernaturalis; vel per possessionem, & sic sola Visio erit supernaturalis; vel per similitudinem, & sic multa entia naturalia erunt supernaturalia: quia homo v. g. est magis similis Deo, quam actus amoris supernaturalis; vel denique per causalitatem, & sic omnia naturalia erunt supernaturalia, omnia enim causantur à Deo.

Non

NON SATISFACIT Tertia Explicatio. Tum quia non implicat contradictionem, ut aliquid respiciens Deum ut unum, sit supernaturalis; imò defacto quæ respiciunt Deum ut unum, sunt supernaturalia v. g. actus fidei, quem in Symbolo facimus. Credo in unum Deum; quo etiam revocari potest, si teneas divinam essentiam videri posse sine personis, quo casu erit actus supernaturalis, & tamen non attingens Deum ut Trinum. Tum quia, si id est naturale, quod respicit Deum ut Trinum, vel ista supernaturalitas oritur ex modo, non nisi versandi circa Deum ut Trinum; vel ex ipso objecto. Si primum. Ergo manifesta est explicatio; nihilque dixit, cum nihil dixerit de eo, quod est ultimum hac in re, nempe modo tendendi in Deum quæ Trinum; qui modus est ratio supernaturalisandi: Quod si ex ipso objecto desumitur ista supernaturalitas, præter infra dicenda, hoc facit in contra, quia scilicet is qui negat Trinitatem, vel illam blasphematur, faceret actum naturalem; versatur enim circa Trinitatem; Neque valet si dicas: quod isti actus versentur circa Trinitatem quasi per modum fugæ: quia jam reducitur, supernaturalitatem, non in Trinitatem, sed in Trinitatem, & modum versandi circa illam, non per modum fugæ; restabitque tibi de novo explicare, unde hoc sit, quod versari circa Trinitatem non per modum fugæ, constituat actum supernaturalem. Tum quia si supernaturalisativum esset sola Trinitas secundum quod terminat actum, huius, non alia esset ratio: quam quod Trinitas naturaliter non sit cognoscibilis: quia jam non Trinitas quæ Trinitas, sed quæ non cognoscibilis naturaliter, esset supernaturalisativum; Jamque erit vera hæc universalis, quod naturaliter cognoscibile non est, illud supernaturalisativum, quod tamen dici non potest; Nam unio Hypostatica non potest etiam naturaliter cognosci, neque tamen per se supernaturalisabit: quia non respicit Trinitatem quæ Trinitas est. Denique hæc explicatio petit principium. Quæro, quid supernaturalisat entia? respondes, referri ad Deum ut Trinum, quæro, quare referri ad Deum ut Trinum supernaturalisat? respondes; quia Trinitas non nisi supernaturaliter cognosci potest, de quo ipso quæro, quid sit hoc supernaturaliter cognosci?

NON SATISFACIT Quarta Explicatio. Quia imprimis non implicat contradictionem, dari aliquid supernaturale, quod tamen non conjungatur cum Deo; & quam adferes implicantiam, illa petet principium. Deinde vel debet esse conjunctio ista cum Deo, ut sine naturali, an cum Deo ut sine naturali? si est conjunctio cum Deo ut sine naturali, multa quæ sunt naturalia erunt supernaturalia, ut amor naturalis Dei bene facientis. Si autem ista conjunctio cum Deo, ut sine naturali debet esse. Ergo petit principium; hoc enim ipsum est, quod quæri-

tur, quid sit hoc esse ut finem supernaturalem: aut ad interrogationem de genere supernaturalitatis, respondes per speciem entis supernaturalis, hoc est, per conjunctionem cum Deo ut fine supernaturali; sicut autem non rectè definitur animal per hominem; ita nec rectè definitur supernaturale ut sic, per finem supernaturalem, tanquam suam speciem. Tum quia. Vel ista conjunctio cum Deo, est quid commune ad conjunctionem per actum naturalem & supernaturalem vel non, si est quid commune, non respondes ad punctum: hic enim quæritur de ratione speciali supernaturalitatis: si autem non est quid commune, da fundamentum distinguendi has duas conjunctiones. Tum quia. Si impossibilis esset visio, & unio hypostatica, non sequeretur, quod impossibilis foret character supernaturalis, actus supernaturalis &c. quo casu prædicta non dicerent ordinem ad ea quæ conjungunt immediatè cum Deo, & tamen essent supernaturalia. Ergo apparet aliunde rationem supernaturalitatis, & non ex illa conjunctione desumi. Denique hæc explicatio, non exhaurit difficultatem. Quæro, quare unio Hypostatica & Visio, est supernaturalis. Respondes: quia sunt immediata conjunctio cum Deo; de hoc ipso quæro, quare id quod est immediata conjunctio cum Deo, est quid supernaturale, cum etiam dentur aliqua conjunctiones immediatæ cum Deo, & non supernaturales, qualis est cognitio naturalis de Deo; & aliqua etiam dantur, quæ sunt supernaturalia quoad substantiam, neque tamen dicunt immediatam conjunctionem cum Deo, v. g. character. Addo, prius est esse absolutum, quam respectivum. Ergo etiam prius erit esse in se characterem, posterius dicere eundem, immediatam conjunctionem cum Deo, tunc quæro, pro illo priori, vel jam intelligi potest supernaturalis, vel non. Si primum. Ergo supernaturalitatem non sumit ex illo ordine. Si secundum, non respondes ad punctum: quia hic quæritur de conceptu supernaturalis absoluto, & omnem respectum antecedente. Quamvis autem PP. asseruerint contra Pelag. gratiam unientem nos cum Deo, tanquam cum objecto Beatitudinis æternæ, nolebant per hoc decernere, quidnam sit supernaturalisativum ut sic: nam de eo non habebant quæstionem.

NON SATISFACIT Quinta Explicatio. Tum quia. Non exhaurit difficultatem. Quæro enim quare v. g. penetratio corporum sit supernaturalis, respondes: quia est ordinis divini, quæro, quare est ordinis divini? respondes: quia specialiter refertur ad Deum, quæro, quare specialiter refertur ad Deum specialitate fundante supernaturalitatem? respondes: quia specialiter producit a Deo. De hoc ipso quæro, quid sit specialiter produci, specialitate fundante supernaturalitatem. Quæro item cum habeat suam specialem productionem Angelus, cur illa ta-

(Y) 2 mea

men productio non est supernaturalis, est autem supernaturalis productio amoris sicut oportet, respondebis, producere Angelum specialiter Deum, sed tanquam Auctorem naturalium: de hoc ipso quæro, quid sit producere Deum tanquam Auctorem supernaturalium. Tum quia. Ut bene communiter urgetur, inquiri potest, Cur penetratio corporum sit magis ordinis divini, quam anima rationalis, vel Angelus? Tum quia. Si hoc quod est esse specialiter ordinis divini constituit supernaturalitatem. Quæro, vel hæc specialitas consistit, in participatione esse divini intentionali, vel in participatione physica? si in physica. Certè magis Angelus participat de divinitate, quam actus supernaturalis fidei divinæ. Si autem consistit in participatione intentionali, character non erit supernaturalis, & alia, quibus quoad entitatem non convenit esse visionem & amorem Dei, quæ duo sunt participatio Dei intentionalis. Unio item Hypostatica cum lapide non esset supernaturalis: quia non posset ordinari ad visionem Dei. Denique qualiscumque tandem participatio ista est esse divini, vel est univoca, vel Analoga. Si primum. Erit impossibile ens creatum supernaturale: quia impossibilis est participatio univoca naturæ divinæ, ut est in se. Si autem stabit in participatione analogica: quælibet creatura erit supernaturalis: qui quælibet dicitur esse participatum analogum.

RESPONDEBIS 1. Creationem v. g. animæ non esse specialiter ordinis divini, quia est debitum animæ, quæ est ordinis naturalis.

CONTRA. De hoc ipso quæritur, quid sit hoc esse debitum ordini naturali, prout ille constituitur supernaturali.

RESPONDEBIS 2. Ad supernaturalitatem requiri ut attingat Deum intra suum proprium ordinem.

CONTRA. Quæro, quid est hoc, attingi Deum intra suum proprium ordinem attingentiæ supernaturalitatis?

RESPONDEBIS 3. Sicut Volitio, quæ attingit hominem intra suum ordinem, qui est liber, evadit humana: quia est libera: nam volitiones necessariae non dicuntur humanae. Sic & quæ attingit Deum in suo ordine, dicitur divina, adeoque supernaturalis.

CONTRA. Hoc quod est esse actionem humanam explicas per formalitatem liberæ, explicas ergo itidem quid est esse actionem quodammodo divinam, in ordine ad fundandam supernaturalitatem.

ADDIT Rec. Suar. exemplum hoc non esse ad propositum: quia eadem entitativè volitio potest esse humana, & non humana, libera, & non libera, adeoque ista non mutant essentiam, vel entitatem, ordo verò supernaturalis mutat essentiam & entitatem.

Proponuntur alia Explicationes.

2. CLASSIS Explicationum est. Quæ dicitur stare supernaturalitatem in connexionem cum gratia sanctificante: ita ut supernaturalia sint ordinis gratiæ, in hac Classe est Ripalda, Rec. Suar. loco citato, Paragr. 8. & alii.

NON SATISFACIT 1. hæc explicatio. Quia non implicat contradictionem, esse aliquid supernaturale; & tamen non dicere connexionem cum gratia. Imò saltem in sententia Rec. Suar. modus ille qui facit penetrationem corporum, & eorum replicatio, est supernaturalis, non tamen videtur habere ullam connexionem cum gratia. Sicut nec ubi Eucharisticum, & modus existendi per se accidentium Eucharisticorum.

RESPONDET. Rec. Suar. Ista ideo esse supernaturalia, quod non possint quidditative intelligi nisi à scientia per se infusa.

CONTRA. Tum quia. Ipsum illud obiectum in se vel est supernaturale in se, vel non? si non est supernaturale in se, non potest reddi supernaturale ex eo: quia non potest attingi nisi scientiâ infusâ: quia esse supernaturale, est esse primo intentionale: nullam autem primò intentionalem denominationem potest tribuere scientiæ, & cognitio, obiecto. Quod si in seipso est supernaturale. Quæro per quid? non per scientiam illam infusam, ut probatum, non per connexionem cum gratia, quia nullam dicit ubi Eucharisticum, vel ubi accidentium, vel potius modus existendi eorumdem. Ergo nondum explicas quid sit supernaturale. Tum quia, immerito assumitur, illa esse supernaturalia, quæ sunt attingibilia, non nisi scientiâ infusâ. Nam secreta cordium nostrorum, &c. similia, v. g. cognitio intuitiva substantiæ Angelicæ, quæ haberetur in hac vita, requirunt scientiam per se infusam; & tamen objecta ista, sunt naturalia. Tum quia. Si quæram quare modus existendi accidentium Eucharisticorum sit supernaturalis respondebis, quia est ordinis gratiæ. Quæro, quare sit ordinis gratiæ? respondebis, quia à nulla scientiâ attingi potest, nisi ab infusâ. Quæro, quare à nulla alia potest attingi? respondebis: quia est supernaturalis, & de hoc ipso quæro, quid sit?

NON SATISFACIT 2. Quia non exhaurent difficultatem. Quæro quare aliquid sit supernaturale? respondetur: quia est ordinis gratiæ, quæ est quid supernaturale, de qua ipsa gratia quæro, quare sit supernaturalis? non enim est supernaturale ex ordine ad aliquam aliam, quia daretur processus in infinitum, non etiam ex se ipsa: quia non implicat gratia quæ sit qualitas ordinis naturalis, per quid ergo illa gratia constituetur in ordine supernaturalis.

RESPONDET. Rec. Suar. Illa esse ordinis ejusdem cum gratia: quæ aut sunt ejus proprietates aut ad dispositiones illam.

CONTRA. Ipsi gratiæ, ipsi ejus proprietates

R. P.
THE MLC
zianows
Tom de
D. VI

bus, dispositionibus, debes assignare rationem communem supernaturalitatis, quæro quæ sit illa? Deinde modus existendi accidentium Eucharisticorum est supernaturalis, unio item personæ divinæ cum irrationali natura, esset supernaturalis, neque tamen apparet, quomodo ista dicerent connexionem per modum proprietatis, vel dispositionis ad gratiam.

NON SATISFACIT 3. Quia per oppositos explicare supernaturalitatem per ordinem ad naturam supra quam est, est explicare per aliquid respectivum, adeoque quærendum esse priorem conceptum. Ergo etiam explicare supernaturalitatem per ordinem ad gratiam, erit explicare per aliquid respectivum.

DICES. Cum Rec. Suar. De facto ad talem ordinem elevat nos gratia: efficit enim nos consortes divinæ naturæ, hinc in Catech. Pii V. gratia appellatur qualitas divina.

RESPONDETUR. Non negamus aliquam supernaturalitatem constituere in esse divino, quod facit etiam gratia, sed negamus id omni supernaturalitati convenire. Quando autem S. Paulus per excessum etiam descensus in cor humanum explicat supernaturalitatem, id non procedit de supernaturalitate ut sic, sed de supernaturalitate Beatifica. Unde nec negamus quoddam supernaturalia intuitivè cognosci non possint nisi scientia per se infusâ, sed negamus in antè non supponi in objecto supernaturalitatem; & de hac quærimus, quid sit?

INSTAT cum Ripalda. S. Tom. 1. 2. q. 52. a. 1. in Corp. explicare supernaturalitatem visionis per connexionem cum gratia, & ad 1. virtutes Theologicas per ordinem ad gratiam; & contra Pelag. excellentiam actus fidei explicat, per ordinem ad justificationem.

RESPONDETUR. Explicando Auctoritates dictas, quoddam scilicet S. Th. 1. 2. hoc solum intendat, quod secundum proportionem esse physici, sit proportio esse supernaturalis, & quia in naturali esse, datur vita, quæ est radix reliquarum perfectionum, ita in esse supernaturali, datur vita gratiæ, quæ est radix reliquarum perfectionum: concessisque illis & aliis verbis S. Thom. prout sonant, dici potest, quod illic nolit S. Th. tradere rationem communem supernaturalitatis, per quam ipsa vita supernaturalis, seu gratia in esse supernaturalis, constituatur. Et certè alia est formalitas supernaturalitatis, & alia formalitas gratiæ per ordinem ad quam explicat S. Th. supernaturalitatem, tanquam per nobilissimam speciem supernaturalitatis in hac vita.

3. CLASSIS explicantium, est Recentiorum, cui initium dedit Ant. Perez Rom. Professor. ut refert. Rec. Suar. §. 6. Explicatio in hoc stat. Duplex est donorum Dei genus quoddam, quod est omnino revocabile cum Deus voluerit; & aliud genus, quod est propriissimè donum, quod nobis Deus dat per donationem irrevocabilem

quantum ex Deo, quod propriissimè est esse donationem, quod constat ex lib. 1. ff. de Donationibus, dicitque supernaturale esse donum irrevocabile, quantum est ex illo, & ex Deo.

NON SATISFACIT 1. hæc explicatio. Tum quia, non implicat contradictionem, produci qualitatem spiritualem supernaturalem suapte naturâ cessantem, ergo ista irrevocabilitas, & perpetuitas ejusdem, non est de essentia supernaturalitatis. Tum quia, prædictus Auctor istam irrevocabilitatem explicat per connexionem cum Beatitudine supernaturali: certè non implicat qualitas nullo modo ordinata ad Beatitudinem supernaturalem. Tum quia, per Lugo & alios non implicat contradictionem, qualitas spiritualis producta ab igne elevato, & afflictiva immediatè substantiarum spiritualium, cujus productio erit supernaturalis, & tamen nullo modo ordinata ad Beatitudinem supernaturalem. Ergo supernaturalitas nec in isto ordine, nec in irrevocabilitate consistit.

NON SATISFACIT 2. Quia aliqua sunt quæ de facto non sunt annihilanda, possunt tamen annihilari secundum potentiam ordinariam, alia autem sunt quæ non possunt annihilari per ipsum, etiam in ordine ad absolutam potentiam v. g. Beatitudo supernaturalis, certè gratia non dicit majorem inannihilabilitatem, ac Angelus in ordine ad potentiam naturalem inannihilabilis, & tamen Angelus non est quid supernaturale. Ergo cum gratia non sit magis inannihilabilis, non erit etiam supernaturalis. Rursus, antecederet ad promissionem Dei de conservanda Beatitudine, posito quod ipsa per potentiam absolutam sit annihilabilis, habebatne jus istius conservationis vel non, Beatitudo, & quæcunque alia dona supernaturalia, si non habebant. Ergo solo extrinseco Dei decreto reddita sunt supernaturalia: quia irrevocabilia. Si autem antecederet ante istud decretum, jam erant irrevocabilia. Ergo Visio Dei temporanea non erit supernaturalis: quia nec irrevocabilis, utpote temporanea, & si dices, exigere illam visionem irrevocabilitatem, dicam etiam non nisi exigere supernaturalitatem; sed non esse supernaturalem, quia nec esse irrevocabilem. Deinde non implicat contradictionem, ut perpetuitatem in ordine etiam ad potentiam absolutam det Deus beatitudini naturali, sicut dedit supernaturali, quo posito, quæro, an illa Beatitudo foret naturalis, an supernaturalis: si naturalis. Ergo aliquid irrevocabile etiam per ordinem ad omnipotentiam divinam absolutam, non est supernaturale. Siquidem illa Beatitudo foret naturalis, & tamen irrevocabilis. Quod si illa Beatitudo foret supernaturalis. Ergo non stas in suppositione: nam procedit argumentum, & suppositio de Beatitudine naturali. Neque valet, si dicas Beatitudinem naturalem non exigere irrevocabilitatem. Cur non enim etiam Beatitudo naturalis saltem possibilis exigit irrevocabilitatem.

(Y) 3

Cum

Cum hoc ipso, non esset Beatitudo, si esset revocabilis, non haberet enim statum naturalem omnis boni naturalis securam possessionem felicem. Et quidem procedit hoc magis exinde: quia possibile est per aliquos Auctores substantia inannihilabilis, cui certe competet exigentia irrevocabilitatis; & tamen illa substantia, erit adhuc naturalis per eosdem. Denique in visione & amore Dei, qualis est in patria, alia est formalitas supernaturalitatis, & alia perpetuitatis: nam visio temporanea est vera visio, & verè supernaturalis: nec tamen habet formalitatem perpetuitatis: quare ergo de illa formalitate supernaturalitatis prout condistincta à perpetuitate, in quo consistat?

NON SATISFACIT 3. Quia multa sunt supernaturalia, quæ non exigunt sui perpetuitatem, ut arguit Rec. Suar. v. g. ubi Eucharisticum, modus existendi per se accidentium, unio cum forma cadaveritatis in Christo saltem possibilis. Unio item Hypostatica partialis ad partes materiæ, quæ deperdebantur, qui ipse medius terminus in hoc exemplo urgetur. Nam multa auxilia actualia non durant nisi unico instanti, & nata sunt non nisi illo durare, & tamen sunt supernaturalia. Neque valet, quod dicitur ordinari illa ad fructum irrevocabilem, quia vel in sua entitate, sunt irrevocabilia & inannihilabilia, vel non: si non. Ergo non sunt in entitate supernaturalia. Si autem sunt in entitate suâ irrevocabilia, & inannihilabilia, quomodo nata sunt durare non nisi uno instanti. Deinde, prius debent supponi illæ gratiæ supernaturales, quam intelligantur fructus earundem: nam gratiæ habent se per modum causæ, fructus per modum effectus. Ergo per hoc posterius in ratione supernaturalis constitui non possunt. Et sicut immutabilitas Dei, non derivat se solâ immutabilitatem in visionem, ita nec fructus irrevocabilis derivabit irrevocabilitatem in gratiâ.

Denique immeritò supponit hæc sententia, quod Beatitudo etiam per ordinem ad potentiam absolutam sit irrevocabilis: est enim irrevocabilis non nisi ex suppositione quod non sit revocanda, ut dictum in materia de visione Dei.

Illæ autem quæ adfert Perez pro sua sententia, non convincunt. Nam ad Rom. II. solum dicitur, quod Deus quæ promisit non revocet, quod verum est de donis etiam ordinis naturalis. Christus etiam Dominus prædicens implenda quæ dixit, non agit de supernaturalitate: sed de sola veridicitate, quæ extenditur ad prædicenda etiam naturalia v. g. adventum Antichristi.

QUÆSTIO II.

Quid prænotandum, de Natura Entis Supernaturalis.

PRÆMITTO I. *Ly supernaturalis, ex vi modi significandi est quid respectivum.*

RATIO. Quia respectivum semper est aliud extrinsecum. Jam autem supernaturale ex vi modi significandi, est etiam ad aliud, nec per naturam supra quam est, revocaturque hic respectus proximè ad respectum diversitatis, quæ est quasi fuga quædam relativa: Sicut enim inter actus voluntatis dantur quidam actus prosecutionis, & alii fugæ, quamvis utrique conveniant in prædicato actus voluntatis. Sic etiam in relationibus, dantur quædam quæ sunt quasi fuga à termino, hoc est dissimilitudo, oppositio, diversitas; & alia sunt relationes, quæ sunt per modum prosecutionis termini, quæ sunt quasi identitas, similitudo, æqualitas. Porro hoc quod est esse quasi fugam à termino, interdum est talis fuga, ut importet ipsam etiam negationem relationis, & ita esse absolutum, est fuga esse, quod sit ad aliud, sed talis fuga, quæ neget ipsammet relationem. Alia autem, ita sunt fuga à termino, ut non negent esse tamen ad aliud; & hoc est commune omnibus relativis diversitatis. Exta albedo comparata ad nigredinem negat quidem terminum, qui est nigredo, sed non negat dissimilitudinem seu relationem diversitatis, consequenter non est fuga termini, exclusiva, esse ad aliud. Ipsum etiam supernaturale dicitur relationem diversitatis à natura, & rationem inæqualitatis oriundæ ex superantia nature, à qua dicitur quidem fugam, non tamen negabit relationem diversitatis, sed erit respectivum quid ad naturam, supra quam est.

PRÆMITTO 2. *Quamvis supernaturale ex modo significandi sit quid relativum, nihilominus habet aliquod esse absolutum, secundum considerationem metaphysicam, secundum quod, prius est quicunque esse respectivo.*

RATIO petatur ex hoc principio aliàs examinato, quod absoluta sunt priora respectivis, sicut prius est esse in se quam ad aliud.

PRÆMITTO 3. *Hoc ipsum esse absolutum competens enti supernaturali debet esse ex superantia nature ad naturaliter sumpta.*

RATIO. Quia hoc ipsum deposcit nomen supernaturalis, quam superantiam examinando Auctores, inquirunt, quid veniat nomine nature, supra quam dicitur esse supernaturale. Quod ut fiat,

PRÆMITTO 4. *Nomine natura supra quam est supernaturale non posse venire naturam ut sit, pro tota rerum universitate spectatam. Ratio. Quia hoc ipso supernaturale esset supra se ipsum, utpote contentum in tota universitate, supra quam supponitur esse supernaturale, nihil autem dici potest esse supra se ipsum.*

PRÆMITTO 5. *Licet supernaturale excedat vires activas nature: nam hoc ipso non esset supernaturale, si non esset supra vires nature: nihilominus nomine natura, non debent venire sole vires activæ nature, supra quas debeat esse supernaturale, nec per hoc præcise, ut sic, formalis ratio supernaturalitatis, est Præmissum contra Suar. & Valg.*